Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

RHACHITIDE

QUAM

GRATIA DIVINA ASSISTENTE

EX DECRETO FACULTATIS MEDICÆ

PRAESIDE

D. ALEXANDRO CAMERARIO

THEORIÆ ATQUE PRAXEOS PROFESS. ORDIN.

FACULTATIS SUÆ H. T. DECANO

PRO LICENTIA

HONORES DOCTORALES LEGITIME CAPESSENDI

ERUDITORUM EXAMINI PUBLICO SUBMITTIT

ERNESTUS CONRADUS BRODBECK

UNTEROEWISHEIMENSIS

AD DIEM XXVI. SEPT. MDCCXXXV.

HOR. LOCOQ. CONS.

TUBINGÆ

LITTERIS SCHRAMMIANIS.

19



Σ. Θ.



D Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Præſidem Illuſtrem abs me transmiſſa quondam obſervatio legitur inſerta Volumini Actorum Ejusdem Phyſico Medicorum primo, cui titulus: Anatome Rhachitici, cum alba oſſium carie ſingulari. *Fas eſt, ſervare vel tandem ibi publice datam fidem, &, quæ in debitum cadere morum Doctores juriumque Conſulti dicunt, promiſſis ſtare. Quemadmodum igitur anno ſuperiori* Tumorem *expoſuimus* Præcordialem Internum, *ibidem quoque recenſitum; Ita nunc, paucis translata prius huc hiſtoria, pagellas aliquot dabimus huic ſutoris puero* Rhachitico, *adimpleturi ſimul hac ratione deſiderium Domini Candidati Reſpondentis, qui pro Diſputatione ſua Inaugurali caſum aliquem poſtulavit medicum. Veriti autem rideri, ſi chorda rurſum oberremus eadem, inſtruemus hac vice ſcenam aliter, &, prætermiſſa plane caſuum analogorum ex obſervationum medicarum promtuariis collectione, generalem magis morbi theoriam adornabimus, dicendorum abunde tamen adhuc reperturi. Quantum ſit beneficium, gigni hominem naſcique ſanum, & hinc creſcere ad formæ ſuæ complementum, id ſane non alias æque intelligitur, ac ubi ſunt in conſpectu, quæ privantur illo, perſonæ miſerabiles. Fit hoc ipſum nimis quam frequenter, & modo quam multiplici. Subſiſtamus tantiſper in limine vitæ noſtræ,*

& primam hominis ætatem, nec eam quidem secundum illud omne, quo morbis obnoxia est, sed ex affectibus numero ac specie diversis unum modo, cujus tyrannidi subest ipsius infirmitas, in Disputationis thema seligamus. Veneramur providentiam divinam per omne sanitatis & morborum negotium. Sub ejus nutu, quid mali, & quibus de causis, patiantur infantes, quos laborare Cardiaca *Germani,* Rhachitide *Angli dicunt, indagare constituimus. Thema vulgare quidem, non eo minus tamen resolutu difficile, nec minus grave familiæ, si quam tenet, tristi spectaculo, magno Parentum cordolio, quantum majori, ac ubi forte suas, quas plantavit, arbusculas hortulanus videt, atque dolet, non vegetari, non proficere, sed in perversum detorqueri, humiles, contortas, aut quibusdam quasi gibbis deformes fieri. Publici interest, haberi publicam hujus morbi curam, & conjunctim vult tractari, quod loci est non unius, sed adeo late se extendit. Suppono cognitam esse omnibus* Glissonii, Majovii, Bootii, Primerosii, Petiti, &c. *professam in hoc argumento operam; meretur enim legi, & prolixior est, quam quæ paginis hisce tota possit inseri. Decerpendum modo nobis erit, quicquid ad ætiologiam declarandam præcipue facere videbitur. Collectis vero, atque inter se collatis, Practicorum sententiis, pluribus etiam & gravioribus, ac quidem speraveram, dubiis deprehensis, quo minus absolute per theses affectum tradam, prohibeor. Suam itaque etiam Alii, qui de publico bene mereri cupiunt, conferre operam, aut supplementa parare poterunt. Ego variorum diversos, quos offendi, conceptus expositurus & examinaturus, quid mihi vero passim videatur similius, candide proponam; Quid Tibi* Lect. Ben. *de istis videatur, expectabundus; Interea Divinam clementiam iterum venerabundus, ut in hac, & omni medicinæ, tam docendæ quam faciendæ, parte me ducat ad Sui Nominis Gloriam, & verum Proximi commodum!*

"Vide-

"Videtur omnino locum inuenire etiam in hoc obſervationum medicarum promtuario Sutoris *Puer Rhachiticus*, (quales etiam ejus fratres & ſorores tantum non omnes) capite magno, facie turgida, corporis autem habitu conſumto, pedibus gracilibus, debilibus, neque tamen curvis aut diſtortis, diu admodum reſpirans difficulter, cum abdomine magno & tenſo, æſtu & ſudore continuo, durante tamen per omnes has, & dicendas adhuc, ſymptomatum alternationes mirabili voracitate, jacens diu pedibus ad corpus retractis, usque dum octo ante mortem diebus iſtos iterum extenderet, tandem ſatis *acute mortuus*, anno ætatis quinto proxime complendo. Scil. d. 27. Jul. 1720. ante tertiam matutinam, in lectulo ſuo jacens vocavit patrem, proxime accumbentem atque dormientem, oſculum ab ipſo petens, & in latus converti volens; quod ipſum pater dum exſequitur, puer exſerta lingua improviſo expiravit.

Principium malorum dictorum dicendorumque omnium voluit adſcribi *fracturæ* oſſis *femoris* dextri, quam contraxerat lapſus ſuper planam hypocauſti aream, cujus autem curatio protracta fuit in quartum fere menſem usque, puero abhinc ne pedibus quidem amplius inſiſtere, multo minus ambulare, vel audente vel potente; cum tamen prius, diu ante oſſis fracturam, & variolas ſuperaſſet feliciter, & omnino ſanus videretur ſuis, matrique ſeſe ſocium ubique jungeret, in hortum ipſam frequenter comitari ſolitus.

Addendum tamen & hoc: Progreſſu temporis pes iſte dexter factus usque melior, ſiniſter vero poſtea correptus, modo dubio, ſtatim dicendo.

Scil. ab iſto tempore pronati puero fuerunt *Tumores* tres: *Primus* in cornu *frontis* ſiniſtro, cuti ſanæ concolor, ovum æquans magnitudine, durus, indolens, diu in eodem manens, tandem, cum major & plane mollis fieret, neque tamen doleret, ruberet, aut caleret unquam, a Chir-

 urgo

urgo *male* apertus, nihil nisi *sanguinem* effudit fluidum bene multum, inde vero ulcus reliquit ad usque vitæ ter minum, sed jam planum; quippe tumor omnis subsederat

Secundus priori similis, fuit supra flexuram cubiti dextri in *humero*, modo major, modo minor, crescens & decrescen varie; unde & factum, ut nunquam aperiretur.

Tertius fuit in *femore* sinistro antico, supra genu, ov anserini magnitudine, diu Chirurgum vexans, visus mod aperiendus, modo non; cuti sanæ, ut priores etiam, con color, nisi quod interdum in medio rubesceret, nec multum nec diu. Mansit hic tertius, cum secundo, per *sesquiannum clausus*, *non ulceratus* sponte, nec apertus a Chirurgo.

Miselli igitur hujus corpusculum post mortem aperire nobis diu id desiderantibus, atque nunc enixe petentibu facile (raro quidem in plebe exemplo) concessum, opell vero isthac & inspectione nostra etiam fuisse dignum, com pertum fuit. Cujus proin potiora huc redeunt:

I. *Ulcus* illud sinistræ frontis, olim humidum, jam siccum fuit, cutis retracta, cranium oboli magnitudine a pericrani denudatum; Circumcirca vero *membrana* densa, spissa, simil illi dicendæ in humero & femore. An pericranium? A peculiaris membrana, sanguinem prius quæ continuit

Sub hac *cranium* ipsum, magnitudine alicujus floren *tenue*, quasi unica modo superesset lamina mobilis, *arrosu* fuit & *perforatum*, non tamen nigrum, nec fœtidum, u dentes alias cariosi, nisi parum, naribus admotum.

Subjacens dura mater fuit vere dura, spissa & tenax qua incisa plurimus emanavit sanguis fluxilis, illæsa con parente pia matre, illæso subtus cerebro.

II. In humero dextro, supra flexuram ejus cum cub to, deprehensa fuit, proxime sub integumentis jacens, *tuni* spissa, quasi cartilaginea, quæ materiam conclusit, & aper ta effudit, albam, grumoso lacti, aut caseoso coagulo sim lem.

Ha

Hac evacuata comparuit *os exeſum*, conſumtum, ut ligitus hiatui transverſo potuerit inſeri. Reliquum oſſis ıtrinque jam ad digiti latitudinem arroſum, perforatum, ıt digitis prementibus facile cederet.

Ulterius autem inquirentibus reliquum oſſis ad axillam equale, album, ſolidum, comparuit, illæſis etiam cubiti oſ-ibus.

III. Inciſione facta, non profunda, ſecundum longi-udinem femoris (nam tabe conſumta ubique fuit nuſculoſa ſubſtantia) perventum fuit iterum ad ſimilem *unicam*, craſſam, denſam, firmam, imo paucis, proprie artilagineam, qua obvolvebatur tumor.

Hac aperta profluxit *liquor* priori ſimilis, paulo qui-lem ſpiſſior, fluidus tamen, albus, caſeoſus, non fœ-idus, ad tres circiter uncias æſtimatus.

Hinc oculis patuit, & digito immiſſo conſtitit, ſub ıoc tumore *defuiſſe os* ipſum, ibi prorſus *conſumtum*, in nedio tractu, dum pars ſuperior ad coxam, & brevior ad ge-ıu eſſent in ſalvo.

Quemadmodum in integumentis nulla putredo; ita & ıic *nulla oſſium nigredo*, *nullus* item *fœtor* ſingularis, ſed quæ ſuperfuerunt fruſtula de oſſe conſumto perroſa fuerunt, lba omnia. Defecit itaque os inter extremitates pariter ırroſas, utrinque ad digiti latitudinem.

Firmavit hanc quaſi fracturam, ut femur tamen ma-ıeret rectum, ſufformavit tumorem, materia concluſa ravidum, *Tunica* iſta firma, an ad Atheromatis ſimilitu-linem folliculus peculiaris? an perioſtium?

Caries iſta *alba* ultra non aſcendit, nec deſcendit per eliquam oſſis femoris ſubſtantiam, ſed dicto *terminata* man-ſit ſpatio.

Nullum ex carioſis iſtis, in fronte, cubito, femore, oſ-ibus fuit *tumidum*, vel mole auctum, ſed magnitudinis ıaturalis.

Ce-

Ceterum Ventriculus & Inteſtina mirum quam fuerunt inflata, unde etiam ante apertionem abdomen durum fuit atque tenſum inſtar tympani.

Hepar magnitudine ſua ſuperavit hepar alicujus vituli, obtulit quidem in ſuperficie maculas aliquot purpureas; interior tamen ejus ſubſtantia fuit naturalis.

Lien, Renes, Menſenterium, Veſica, Omentum, bene ſe habuerunt.

Pectus anticum fuit acuminatum, coſtæ autem utrinque depreſſæ, atque reliquum thoracis ſpatium internum a prædicta abdominis conſtitutione eo magis anguſtatum. Hinc pulmones parvuli, maculis quibusdam notati lividis, pleuræ verſus dorſi vertebras aliquantum adhærentes.

Cor ſanum, præterquam quod auricula dextra fuerit juſto major, ſanguine repleta fluido. Nullus polypus, nullus grumus, nec aliud ſanguinis obſtaculum fuit deprehenſum.

Bubones, quos in utroque latere per vitam habuit frequentes, modo majores, modo minores, fuerunt parvuli glandularum colorem referentes naturalem, nec pus, nec calcem, vel tophum, continentes. Fractum ante biennium *os femoris dextri* deprehenſum coaluiſſe quidem firmiter, ſed linea non recta, verum plane ad angulum obtuſum. *Callus* autem comparuit rubicundus, fibris ex utraque extremitate quaſi ligamentoſis, cartilagineis, ſemet invicem amplexantibus, atque firmiter tenentibus. *Nihil hic carioſum, conſumtum nihil.*

Quod ſupereſt, & tam ad ultimum hiſtoriæ totius complementum, quam ad evolutionem ejus, atque comparationem cum analogis quibuscunque aliis, ſpectaret, id quidem occaſioni reſervamus Academicæ, prolixius & pro dignitate, uti par eſt, tractandum.,,

Rha-

R*Hachitis* græcum quid ſonat; In *Hippocratis* tamen & *Galeni* ſcriptis fruſtra quæreretur. Ῥαχισ quidem, ſpina dorſi, & ῥαχίτησ atque νωτιαῖος μύελος, ſpinalis, dorſalis medulla, ibi occurrit, inſuper muſculi, qui ſpinæ ſuperjecti ſunt, ῥαχῖται, nominantur; Minus autem Rhachitis ita abſolute poſita. Venit enim hic terminus non tam ex Græcia, quam potius ex Anglia. Analogiam utique græcam medicam præ oculis habuit, quisquis ex Medicis Anglis (quis enim fuerit, nullibi invenio) primus novæ rei novum nomen impertiendi, vel libertatem, vel neceſſitatem ſibi impoſitam eſſe putavit, ſ. ſubjectum modo morbi, ſ. ſimul & cauſæ deſignare voluerit: Uti phrenitis alias, pleuritis, nephritis, arthritis, ſuarum partium dolores & inflammationes dicunt; quorum tamen neutrum in rhachitide eſt evidens. Quicquid hujus ſit, nomen, publici juris ſemel factum, Medicis placuit, & uſu receptum manſit hactenus. Itaque, ſi græcam obſerves originem, & nota medicis nomina, rha, rhevma, rhiza, rhodos, rhus; videtur ſcribendum fore rhachitis: Uti *Rhacoſis*, lacer ſcroti, panni detriti modo, abſceſſus dicitur, aut ulcus *rhacodes*, cujus varia corroſio *rhacon*, lacerum pannum, refert. *The Rickets* Anglorum, utrum deducatur a rhachitide? aut a dorſo, *der Ruken*, Germanorum? criſi Iſtorum relinquam. Certe interpres J. GRAUNTI recte dixit, *die Rukenſucht*. Illud magis operæ fuerit pretium: Utrum nomen rei, quam deſignant, præternaturali ſit convenientius? *Rhachitis* Anglorum; An *Cardiaca* Germanorum? (quanquam & hoc nomen in hoc ſenſu novum eſſe, & Veteres nec affectum noſtrum, nec cordis palpitationem, ſed ſtomachi dolorem dixiſſe Cardialgiam, doceat *L. Fuchſius* noſter in *Inſtit.*) Quæ quidem quæſtio præſupponit adhuc

aliam: *An*, & *quantum*, *conveniant* illi duarum Nationum morbi infantiles? Cui ad latus pono tertiam: *An novus* ſit adfectus? Aut, cur pro novo fuerit habitus? Quarta, & præcipua, ſequetur iſta: *Quæ cauſæ* ſint affectus hujus adeo frequentis, ut alibi, ſic & apud nos?

Reſolutioni harum daturus operam, conquiram primo phænomena, quæ Angli rhachitidi ſuæ unanimes tribuunt; Sic non erit difficile Noſtratibus, ſuam in ipſis obſervare cardiacam. Quandoquidem vero omnes corporis partes illa pervadunt, nec ſimplex unius membri malum, ſed concurſum paſſionum variarum important, ordine igitur ſuo per partes iſtas ibo.

Primo adſpectu omnium minime pati videtur ***Caput***, & plus promittere boni, quam in receſſu quidem habet corpus reliquum; ut multum falleretur, qui ex ſola facie bene habita, cetera non conſpecti, jacentis ſedentisve, rhachitici ipſum judicaret. Utut etiam ſimul obſervaret vigorem ibi ſenſuum, & alacritatem ingenii. Hoc ſcilicet unum eſt ex phænomenis ſingularibus, quod mirantur, quotquot adtendunt, pueruli talis mentem præſtare ſuis viribus, dum ſuis deſtituitur corpus ſubjectum. Non eſt ergo facies ipſis quæ vocatur hippocratica, niſi tandem ad finem, aut accedat forte phthiſis; Sed ut dictum, minus deſiderari circa caput, hiſtoriæ pars eſt notabilis. Qui tamen adcuratius examinant ipſos, inæqualitates forte deprehendunt aliquas, & frontis dextræ protuberantiam; Caput fit quibusdam *majus*, & gravius, quam quod ab infirmo collo poſſit fere ſuſtineri. ***Fontanella*** cranii, *commiſſura ſuturarum*, obfirmari tardat & coaleſcere. Manet illud *Plinii Hiſtor. Natur. Libr. XI. Cap. XXXVII.* de cerebro: Uni hominum infantia palpitat, nec roboratur ante primum ſermonis exordium. Qui cadavera ſecuerunt

runt rhachiticorum, docent, *cerebrum* peccaffe fola *mole* & proportione; fuiffe ipfis *jugulares* & *carotides ampliores*; quibusdam inter meninges *aquam*; tandem emortuali modo *vix riguiffe collum.*

Ad caput etiam fpectat, quod Angli minus exprimunt, Noftris autem perquam familiare deprehenditur, phænomenon circa *dentes*, qui ftatis menfibus non erumpunt, fed moras nectunt, ut omnino huc referri debeat *Dentitio ægra* & *tarda*; Nec hæc fola, fed & intempeftivus & præmaturus iterum eorum *lapfus.* Quemadmodum *Hippocrates Epidem. Libr. VI. Sect. VIII.* §.23. ætatem ab ætate diftinguit hoc ipfo, quod prius vel pofterius, quam convenit, fiant dentium eruptiones, prima quidem ordinarie menfe feptimo, permutatio autem anno feptimo; Ita *Epid. L. IV.* §.25. puero phagædena laboranti dentes inferni, & fupernorum ac infernorum anteriores, emergebant, cavum habebant, f. ut *Commentator* explicat, excidebant fuis alveolis, & hos pro dentibus relinquebant cavos. Obfervans enim *Cous* temporis; qui *Epidem. L. II. S. VI.* tempora partui, dentitioni, nutritioni legitima, menfem feptimum, nonum, decimum, eosdem porro puerorum mutationibus legitimos contendit, & ordine recenfet dentitionem, tempus dandi cibos folidiores, & folvendi manus, & ambulandi, & edendi voces, & loquelæ, ultimo fubjungens: *Voce foluta, tandem omnia folvuntur.* Pervertit iftum ordinem rhachitis, fiftit vel retardat proceffum, loqui prius, quam ftare, vel incedere, facit infantes, vacillare iterum & elabi dentes ante tempus, quo, fi fuccrefcant novi, bene quidem cum talibus agitur.

Medius venter habet *fternum* anterius *acuminatum*, ut gallinæ pectori foleat comparari, tandem adeo *carinatum*. Ad latera autem retrahitur introrfum, fit anguftum, ma-

crum, compressum; ex altero latere quasi gibbosum extrorsum vidi. Exhibet juxta seriem *cartilaginum* in costis *nodos*. Illam, quam *ensiformem* vocant, *cartilaginem* acutam *prominentem*. (qualis quidem obstetricum metuendæ jam in *recens natis* signum est cardiacæ.) A parte postica est illa *dorsi spina*, de qua prius, plus minus *curva*, arcus instar varie flexa, modo magis vel extrorsum vel introrsum, alias vero magis ad latus vel alterutrum vel utrumque; quantus enim & qualis a rectitudine sua sit dorsi recessus, magnam per individua differentiam admittit. Qua sub læsione conformationis lædi etiam varie pectoris actionem, *respirationem* impediri, necesse est. Ab Anatomicis interim *pulmones* describuntur modo non eodem: quibusdam *magni*, tumidi; quibusdam *contracti*; sæpius *infarcti* audiunt, sæpissime *adnati*; (quam adcretionem viscerum utriusque ventris suspicantur, & adcusant, inprimis nostrates.) nonnullis *strumosi*, *purulenti*. Frequentior in *thoracis*, quam abdominis quidem, *cavo aqua*.

Venter infimus observatur justo *major*, plenior; Tumidius inprimis, & *distentum* magis, *hypochondrium* dextrum, ut sub *costas nothas* digiti non possint adigi. (notabile iterum Nostris phænomenon, & *adnascentiæ* illius *signum*.) Anatome docuit, integumentis macilentis viscera subesse magna, *hepar* maxime *prægrande*, quod universale rhachiticis notant, *non* æque tamen *durum*, aut vitiosum. *Lien* quibusdam dicitur in salvo; aliis etiam *magnus*, durus. *Mesenterium* aliquando intemeratum; alias glandulis majoribus, si non strumosis, obsessum. *Ventriculus* denique, & *intestina*, flatibus distenta, majorem quoque solito spatii partem occupant.

Nec denique *artus* carent vitio. Unum ex evidentibus est in *carpis*, quorum articulatio communiter fit *nodosa*,

sine

ſine dolore tamen, *the doubling of the joints*, junꝏurarum duplicatio Anglis dicta. *Pedes* diſtorquentur, curvantur, plus minus; pueruli fiunt varie *valgi*, *vari*, *compernes*. *Standi* & *ingrediendi potentia* ſuo tempore in actum non erumpit, aut, quæ forſan adfuit, iterum imminuitur. Sedentibus ludendum eſt talibus; & pedibus quidem plerumque decuſſatis. Quodſi committere talem velis pedibus ſuis, ut tandem aliquando inſiſtat ipſis, videbis ipſum hos *retrahere*, ut hæreat corpore pendulus, dum ſub axillis prehenſus tenetur, ſine nervo, ſine rigore ad conſiſtendum requiſito. Quod ergo corporis eſt, præter caput & ventrem, minus nutritur, ſenſim extenuatur & enervatur, unde tabis & atrophiæ ſpecies habetur rhachitis, *exilioribus* quoque notatis, per habitum corporis exteriorem, *venis* ac *arteriis*.

Sequuntur Rhachiticorum *fata*, quæ triſtia patriæ ſuæ Angli perhibent, quia miſellorum talium magnus quotannis abripiatur numerus; Ita tamen, ut diverſos mali gradus ſimul agnoſcant, & mitiora quorundam fata obſervent. Dum *Phthiſin*, *Hecticam*, *Hydropem*, ſuccedanea funeſta citant, graviorem utique rhachitidis ibi conditionem innuunt, ubi endemia eſt phthiſis, ſcorbutus, & quæ ſunt alia ipſis mala gravia. Minus utique male ſe habebunt, minusque periclitabuntur, quibus patria obtigit melior, liberior, in totum, vel in tantum. Multa enim ſunt, quæ ſuperveniunt, non quidem neceſſario, accedere tamen poſſunt, aut complicari. Abripiuntur quidam quaſi in fieri, alii tenentur diu; usque dum vel publica lues, variolæ, dyſenteria, &c. eos acute abripiat, aut lenta tabes conſumat. Interim *affectus* ipſe *chronicus*, exacerbationes experitur varias, & ſuperveniunt ipſi paroxysmi tam febriles, quam

ſpas modici, aut colliquativi, pro cauſarum perquirendarum & ſubjecti conditione ac diverſitate. *Spaſmi* vel partes torquent, e. g. *pectus*, unde formidatus adeo noſtris *delapſus* ille, atque *tractio anhelitus*; aut *veſicam*, unde *dyſuria* quædam; vel in nervum erumpunt univerſalem *epilepticum*. Neque *Vermium* hic obliviſcar, qui comitari malum, quin adgravare, admodum frequenter ſolent. Non deſunt tamen, qui præſervantur a talibus, aut liberantur iterum, quorum vitia emendantur, ſub uſu remediorum, aut progreſſu ætatis, ita ſaltim, ut quibusdam tamen aliquid hæreat, ſtaturæ aut ſtructuræ maneat detrimentum aliquod, diſproportio quædam, major minorve. Ita ſunt, quos vulgus noſtrum notat, ex ventre ſuo turgido vel tandem quaſi excreſcere. Sunt etiam, quibus, juxta obſervationem c. *Riverio* communicatam, ſponte naturæ, ut plurimum circa ætatis annum tertium vel quartum, tibiæ & muſculi firmantur, ut ad naturalem ſtatum partes redeant. Dum aliis damnum permanens in corpore pumilo, pigmæo, quin diſtorto, conditionem infert miſerabilem.

Ego autem ſub finem hiſtoriæ hujus præternaturalis, collectis undique & conſideratis phænomenis, *Cardiaca* Germanorum, & *Rhachitis* Anglorum, in quo non conveniant, quid commune ipſis non ſit, haud invenio, neque differentiam eſſentialem, vel deprehendo, vel agnoſco. Spinæ rationem forſan minus fuiſſe habitam, ut in hac hiſtoria, ſic in ſequenti ætiologia, facile conceſſero.

Suam Angli rhachitidem volunt eſſe morbum *novum*. Vulgatiſſimus, ſcribit BOOTIUS, eſt in Anglia, uti & in Hibernia, ab aliquot annis, ubi antea ſolebat eſſe *rariſſimus* atque *vix cognitus*. JAC. PRIMEROSIUS: Morbum, inquit, quem *novum* eſſe credunt, anno 1628. in oppido *Southampton*

pton Rickets vocari primum audivi, eodemque anno in agro *Eboracensi* observavi, ubi nomen illud erat ignotum. H. BOERHAAVE quidem in suis d. *cogn. & cur. morb. aph.* §. 1480. illam *medio* fere *seculi decimisexti* jam adscribit. In catalogis tamen mortuorum, quotannis Londini typis publicis exscribi solitis, the rickets ante annum 1634. non occurrere, observat Jo. GRAUNT, qui hoc novitatis argumentum profert: Non inveniri aliud morbi genus in istis catalogis, sub quo vel potuerit illa tum latere, vel debeat intelligi. Nec enim esse eandem cum *Hepatite*, der *Lebersucht*; neque cum *adscensu pulmonis*, aut *obstructione ventriculi*; morbis, tum oriri demum, & in catalogis mortuorum noviter occurrere, solitis. Quod mihi tamen ita simpliciter quidem admittendum nullatenus videtur; quippe qui in dictis tabulis priorum annorum, quos idem ille sistit, τὸ dentire, excrescere infantum, parvulosque mortuos, jam reperio; ut de tabe, & convulsionibus, nihil quidquam dicam, quæ suos ibi formant titulos. Imo, ipse Graunt adscensum pulmonum & obstructionem stomachi, juxta cum hepatite, vel esse reliquias rhachitidis, vel ad eam pertinere, tandem prætendit.

Non autem ita Patriæ nostræ nova est Cardiaca. Qui in *Memorabil. Medic.* Abavi mei Jo. RUD. CAMERARII *Cent.* XX. *P.* LXI. citatur MICH. RUCKERUS, qua ipsam ratione fuerit curare solitus, spinæ lumborumque non oblitus, quin his inunctiones suas, æque ac præcordiis, destinans, laudati prius *L. Fuchsii* Collega fuit senior, Facultatis Medicæ Decanus, cum ante, hoc ipso Septembri mense completa, duo secula, sub auspiciis Divinis, repurgaret Universitati nostræ sacra, pulsisque traditionum tenebris, claram Evangelii lucem restitueret, gloriosæ memoriæ Dux

ULRI-

Ulricus. (Faxit Deus, ut Academiæ jubilæum hoc bono omine ſit vere ſecundum, nec intercidat unquam redditum nobis hoc cimelium, ſed cum verbo Ipſius maneat in æternum !)

Deinde, Oswald. Gabelchoverus, Archiater Wurtembergicus, cum ſuam remediorum ſylvam, ex mandato Ducali, ſcriberet in vernacula (factum autem id ipſum fuit an. 1595.) ſua ibi quoque proponit evporiſta adverſus cardiacam, *fürs Herzgeſperr*, ſine ulla de novitate morbi mention. Quod vero morbum alium ibi non intellexerit, docent verba *deſs Arzney Buchs*, pag. 128. 133. *Vom abnemmen, da Arm und Fueſs lummelet, und die Bæuchlein offtermal groſs; da ſie ein Zæpfle im Herzgrueble haben. &c.*

Liceat huic addere tertio remedium, a Germanis ſuo morbo, præ anglis, oppoſitum, cui nomen ab ipſo morbo dederunt, *Herzgeſperr*, *Herzgeſpann*, *Herbam* ſcil. *Cardiacam*, Matthiolo, Dodonæo, Gesnero, Tabernæmontano, Fuchsio, jam ita dictam, de qua vel olim Schroederus *in Pharm.* Peculiariter medetur diſtenſioni hypochondriorum, cardiæque infantum, quem adfectum cardiacam, ſeu cardialgiam, adpellant. Atque Jo. Jonstonus, in *Id. Univerſ. Med.* L. XII. qui de puerorum morbis, Tit. III. proponit hypochordriorum inflationem, in qua infantes anguſtia, & oris ventriculi compreſſione, *cardiaca*, & difficili reſpiratione laborare notat, dicitque: Externe fomenta per *decocta cardiacæ* proſunt.

Interim memorabile eſt, quod duas, *temporis* & *loci*, circumſtantias ſic adtendunt Angli; Imo, quod morbum Iſtis novum apud Ipſos manſiſſe, & per annos incrementa ſumſiſſe, docent. Londini ad annum 1660. the ricket in incremento fuiſſe, quotannis ad 500, mortuos, refert Graunt. De illo autem tempore, ſcil. ab anno 1658.

ad 1664. RICH. MORTONUS in App. *Pyretol.* ſcribit: Si unquam alias, fere tota hæc inſula, ſaltem menſibus auctumnalibus, nosocomii publici ſpeciem præ ſe ferebat; quam ſcil. affligebat febris continens epidemia. Perſuaderi igitur vix ac ne vix quidem potero, veniſſe ad nos rhachitidem ex Anglia; Uti quidem olim lues quædam ab illis toto diviſis orbe Britannis veniſſe legitur, *Sudor Anglicus* dicta, de qua expertus ipſe quondam noſter MART. CRUSIUS in Annalibus ſuis ad annum 1529. & ex Medicis iterum noſter L. FUCHSIUS in Comm. Sext. Epid. nec minus noſter quoque DAN. MOEGLINGIUS, Diſp. d. *Peſte.* §. 128. Si prior apud nos, quod fide quidem hiſtorica evictum eſſe confido, Cardiaca, communicatio autem & migratio quædam morbi ſtatuenda eſt, tum deſcendiſſe potius illam ex Germania, & in Angliam trajeciſſe, dicendum eſſet. Belgio certe valde gravem eſſe, ajunt, qui inde veniunt, & abunde docet cap. penult. BOERHAAVII l. c. Quin, quo plures evolvo auctores, eo pauciores Europæ provincias excipi deprehendo. GALLIA profecto neutiquam excipitur. *Lutetiæ Pariſiorum* enim ſibi viſam Rhachitidem dixit jam olim BOOTIUS; Inter plebeculam *Lugdunenſem* pueris non infrequentem notavit SPONIUS; uterque FORMIUS, tam ille, cujus eſt obſervatio inter illas RIVERII, quam alter, qui de capillo veneris ſcripſit, prior cruribus varis, poſterior laudibus remedii adverſus conſumtiones parvulorum ab obſtructionibus meſenterii, videtur omnino probare, rhachitidem vel in delicatis etiam ad mare mediterraneum *Galliæ Provinciis* non eſſe penitus incognitam. Et quid multa, ad *Eph. Nat. Curioſ.* conceptis verbis ſcriptum ex *Marchia Brandenburgica*, quod ab illo tempore rhachiticorum ibi plures ſint, ex quo *Gallorum Exules* tanto numero ad Ipſos venerint. Vocari autem a Gallis ſolita rhachitis fuit *la Chartre*, &

infan-

infantes, illa laborantes, *des Enfans Noués.* Quo minus immunem credam *Italiam*, monet me *pædarthrocace*, pariter novum & ad analogiam græcam factum nomen, PANDOLPHINO & SEVERINO designans fixam puerorum ossibus spinam, Arabum ventosam; Item, quæ de gibbo, valgis atque varis, docet posterior, quæ tamen recurrent in sequentibus.

Illud autem hinc colligo. Quandoquidem non sati constat, utrum passio rhachitica regioni uni præ alia sit gravior, frequentior, idque constanter, a longo tempore, au transitorie modo, per paucos annos, plures paucioresv parvulos corripiat, mereri ante omnia hoc phænomenon quod expediatur, ut, quantum *tempori locove* debeat, determinari possit. PRIMEROSIUS quidem hoc habet: Notandum est, vix unquam cerni in *rusticorum* puerulis, se *Nobilium* atque *Civium* ditiorum. Quare vero urbani, nobiles aut divites, communius afficiantur, hanc dedit rationem: quia tractantur mollius atque delicatius. An hæ observatio adhuc hodie obtineat inter Anglos, nescio. Pe patriam bene scio, malum utique diffundi etiam per pagos solis oppidis non concludi: prout epidemiæ dantur tam urbanæ, quam rurales. Excipientur autem rusticorum illi qui vel obfirmantur robustiores, vel educantur aliter Aut causis quærendis non exponuntur, aut iis non tam ferendis, quam superandis, pares sunt.

Dices: Si novus hic morbus non est, cur ergo non est inter illos, quos longo ordine, ubi ex professo ho agit, recenset HIPPOCRATES in *Aphor. Sect. III.* d. morb ætatum? Ad hoc responderi posset, prout fieri solet de alii morbis, quorum novitas quoque controvertitur, scorbuto lue venerea, variolis, petechiis, &c. Scil. *Vel* illo tempore & loco, quo medicinam *Cous* exercuit, morbum

hun

hunc fuiſſe rariorem, leviorem, ſive quod clima illud clementius, ſive quod diæta vitiis adhuc minus obnoxia, aut cauſæ quæcunque porro accuſandæ minus ibi locum ha-buerint. *Vel Hippocratem non ſiluiſſe.* Nam in illa ipſa *Sect. III. Aph. XXVI.* legitur vertebræ introrſum luxatio. Et in *Epidem. L. II. S. II.* §. 29. pluribus communis morbus, ex eodem principio ortus, prolixe deſcribitur. Quæ, ſi forte minus huc quadrare videantur, addi poſſent verba CORN. CELSI ſequentia, quibus verba, num & mentem? Coi expreſſit generalius ita: *Vertebrarum, quæ in ſpina ſunt, inclinationes aliquæ. Ulterius* rhachitidem Anglorum adumbraſſe *Hippocrates* videtur JAC. SPONIO in *Aph. Nov. Sect. III.* §. 71. cum reſiccatorium medullæ ſpinalis affectum *L. II. d. Morb. & d. Inſt. Aff.* proponit. Sed de hac ἀναντῆ, aut de hoc ἀναίνεσθαι, uti & de tabe dorſali, & de gibbo a cauſa interna, pluribus aliquando in parte tractationis meæ altera.

Dices porro: *Cui bono* autem *hæc*? Sive deſcripſerit, ſive præterierit, aut plane neſciverit, cardiacam aut rhachitidem HIPPOCRATES. Ita eſt. Transmittat hæc, qui volet. Sunt tamen, quibus iſta curæ ſunt, ex duplici capite. Tam enim operæ cenſent pretium, hiſtoriam morborum ſecundum omnes temporum & locorum differentias compleri; Quam praxin medicam ex fontibus genuinis hauriri. Legat, qui volet, *M. Liſteri præf. d. Morb. Chronicis*, ubi de morbis non novis, & de Veterum in obſervando diligentia. His, ſi placuerit, addat GE. BAGLIVI commendationem ſedulæ lectionis Hippocraticæ. Et, ut quadriga Auctorum fiat, atque ſcriptorum modernorum etiam aliquid accedat, JO. GOD. HAHNII *Variolarum antiquitates nunc primum ex Græcis erutas*; juxta cum PAUL. GOTTL. WERLHOFII *diſq. d. Variol. & Anthrac.*

Sic itaque ordo nunc me ducit ad examen & adplicationem *causarum manifestarum*, quas rhachitidi & cardiacæ bene diversas adtribuerunt hactenus diversi. Fuerunt, qui *externas* saltem advocarunt. Ita *Primerosius*: Non se prodit, antequam nutrices puerulos *pedibus* temere *committant*, ut ambulare discant, antequam pedes & vertebræ corpus sustinere possint. Aut *arcte* nimis *ligent* fasciis circa thoracem. Vix quisquam sine istis nutricum erroribus in hunc affectum incidet. Exprobrationes & querelas tales medicorum atque chirurgorum invenio passim. *Hagendorni* Historia XXXI. centuriæ III. huc transcribi deberet integra. Est autem ipsi titulus: *Curva Puerorum Crura.* Etenim membra tenellorum tortuosa & informia adscribit culpandæ matrum & nutricum, vel negligentiæ vel imprudentiæ, dum molliusculos adhuc vel stare, ve sedere, cogunt diutius, aut indecenter & justo arctius strin gentes gestant. Confert igitur invicem cerea ipsorum cru ra, & superi molem corporis, unde effectus ille tristis quo triennes jam, vel sexennes, pedibus tamen vix dum in sistere, nedum incedere valent. Similiter huc spectat P *Borelli* Obs. LIX. Cent. II. *Hist. rar. med. phys.* quæ inscri bitur: *Phthisis Puerorum Causa.* Ille enim terminus ibi no stricte sumitur. Taxat vero hic eandem *fasciationem* a ctiorem, qua comprimuntur costæ, & pectus acutum red ditur. Ejusmodi, pergit, fuit in urbe castrensi obstetrix quæ infantes omnes, quos ab eorum ortu sic involvera vel tabidos, vel languente tamen & imperfecta sanitate præ ditos, reddiderat. Ideoque a vulgo habebatur pro saga & E contra videmus, pueros rusticos pectoribus amplis præ ditos. &c. Late culpam istam per regiones & familias ex tendit *Fabr. Hildanus* Obs. XCIX. Cent. II. deducens a *arcta strictura* gibbos, genuum deformitates, atque tibi rum protuberantias. Cum quibus conferri poterit ex la

da

dati ABAVI *Memor. Medic.* Cent. X. partic. XCI. cui tit. *Ex ſtrictioribus arctioribusque infantulorum involucris, gibboſitas.* FELO-WURTIUS in App. Chir. addit refrigerationem intempeſtivam, ipſe expertus infantes incurvatos, *Krummſtarrig*, qui vix per horulam inſederant lapidi frigido. (quo referri juxta BOERHAAVIUM l. c. debent etiam *ſellæ perforatæ*, quibus, nudato inferius corpore, infantes committi ſolent.) Proſequitur hinc ulterius illos, qui curvantur & reſolvuntur cruribus, a *decubitu*, *ligatura*; nec parentum obliviſcitur, qui præcociter cum ſuis ludunt, ſub axillis levando trahunt, *pedibus committunt*, dum ferendis iſtis omnibus membra tamen necdum obfirmata ſunt. Quæ quidem Auctorum Cautelæ omnes legi utique merentur, & adtendi, illisque ex modo citatis *Memor. Med. Cent. XIV. partic.* 43. *atque Cent. XI. part.* 40. *&* 42. adhuc addi ratio: *Cur infantes* nonnulli *ad ſiniſtram, quam ad dextram, fiant proniores?* quæ in faſciatione ac decubitu in ipſis cunis quæritur. Specimen ejus rei præbere poteſt ipſius figura capitis, quæ comparet interdum valde deformis, dum recens modo eluctatur ex anguſtiis partus, ab obſtetrice tamen haud admodum difficulter tam reſtituitur in ſtatum naturalem, quam formari poſſet pro lubitu plus minus in oblongum, vel rotundum. Denique non minus exemplo eſſe poteſt alterum vitæ ac miſeriæ humanæ extremum, Senectus, cui etiam arcuatur dorſi ſpina, præſertim apud myopas, a conſueta & longa corporis inclinatione antrorſum.

Altius, & ab intra, morbi deducunt originem Alii, & monent, habendam eſſe rationem *Parentum* generantium, matris vel *nutricis* lactantium. Conſiderari ergo debent adcuratius parentes, quorum infantes, vel omnes, vel quidam, primi vel ultimi, aut unus & alter ex medio numero, pueruli forte magis, quam puellulæ, fiunt rhachitici.

Penes quem potior videatur esse culpa, patrem, matremne? An vir duarum successive conjugum, ex una, non altera, generet rhachiticos? quantum conspirent ad hunc effectum, vel una pars alterius, vel defectum, vel errorem, aut suppleat, aut corrigat. BOOTIO suspecta fuit vel patris, vel matris, calida & sicca *intemperies viscerum*, maxime pulmonis & hepatis. Multum ergo contribuet in genere parentum intemperies, cacochymia, vel nativa, vel per morbos introducta debilitas, afflictus eorum forte status, cum generarent, sub privatis aut publicis calamitatibus, belli, penuriæ, morbonæ, & hinc oriunda *febrilis, scorbutica*, quid quod etiam *venerea, tinctura*. Neque horum oblitus BOERHAAVE §. 1482. dicit, tanto magis infestam proli rhachitidem futuram, quo parentes morbis chronicis, venere, ætate, magis exhausti, inprimis tabi venereæ, & gonorrhœis iteratis, multum obnoxii, effœtam genituram impenderunt generandis liberis. In specie, qui infantiam perpessi olim fuerunt infirmam, morbosam, maxime, qui ex rhachitide ipsi utcunque fuerunt eluctati, aut ab illa tamen manserunt pigmæi, habebunt quod metuant, quod in suis agnoscant, aut, si omnes hi feliciter succrescunt, submissas Deo gratias agant. Quanti enim sit dispositio hæreditaria in fundanda œconomia animali, certius atque notius est, quam ut abs me confirmari demum postulet. Incidit hic quod memini me legere alicubi apud *Hippocratem*: Oblongam capitis figuram, quæ aliquibus placuerat, primo in parvulis ab externa compressione oriundam, transiisse postmodum in naturam, ut procrearentur inde similiter figurati,

Pergit BOOTIUS ad utero gerentium, & lactantium, *errores* in *diæta*, accusat & exprobrat ipsis vini, cerevisiæ fortioris, aquarum vitæ, siceræ, (cur non etiam *coffe*, imo thermo-

thermopofiæ reliquæ) crebriorem atque largiorem ufum, inde caufam cum lacte derivat in fœtum. Talem caliditatem & ficcitatem, talesque earum caufas, nullus dubito probari noftris, & conformem credi fuæ de adcretione vifcerum hypothefi. Hinc culpa communiter referri folet in *lac* tale *calidum*, & ex ficcitate oriundam *fitim*, quæ potu debito non temperetur. Aliud qualitatis illius principium deprehendi in manufcripto quodam, (quod, dum ætatem fere fesqui fecularem habet, iterum confirmat, quod de rhachitidis antiquitate fupra dictum.) Cardiacam inde communiter venire, quod matres tenellos infantes lavent in *aqua nimis fervida*; Ex quo partium omnium, præfertim fpermaticarum, calidum evocetur, diffipetur, atque facultas vegetandi, five naturalis, omnium partium infirmetur. Quam bene igitur eft, quod fimilia legantur apud BOERHAAVIUM, qui l. c. §. 1484. infantes balneo, fotu, linimentis, unguentis, & vaporibus humidis (quos quidem ficcos natura nullos novit.) enervatos allegat. Concederem forfan hoc temporibus iftis prifcis, quibus balneandi major fuit & voluptas & frequentia. Sed nunc adeo fuos raro balneant noftræ, ut caufæ prætenfæ raritas effectus frequentiæ vix refpondeat. Imo prudens balneorum ufus in therapia rhachitidis laudem forte merebitur. Recordor tamen matris, quæ anniculi fui progreffum in dentibus pedibusque minus felicem deducere voluit a *balneo falicis*, quod præfervationis gratia inftituerat. Sed ad *potum* redeo, quia in *Hiftoria Morb. Uratisl.* ann. 1699. de atrophia tam lactantium, quam ablactatorum, hæc invenio: Quotquot pueri cum abdomine prætumido, & contabefcentia nobis oblati, quorum numerus certe non minimus, illos omnes *noctu potum frigidum* fumere confueviffe comperimus. Non fcribam generale valetudinarium infantile, neque caufas

igitur

igitur omnes recenſebo: Inter eas tamen, culpari quæ communiter ſolent, prætermittere non poſſum, quin jure ſuo accuſem quoque *Addiphagiam*, multitudinem, varietatem, ſoliditatem, viſciditatem, ſiccitatem &c. ciborum.

Ubi nullus in parentibus, vel in nutrice, ac nutritione & educatione, comparet defectus, ad cæcas vel tandem, quæ ſubſint, cauſas recurrit BOOTIUS, quarum in cenſum refert *Aſtrorum influxum*. Sane, ut in aliis permultis, ſcribit, humani corporis affectibus, ita in hoc quoque ſiderum aſpectus iſti vel procreando, vel fovendo, magnopere inſerviunt. Aſtrologicis quidem ego nolim implicari litibus. Viderint Genethliaci, qua cum certitudine futuram infantis non profecturi debilitatem poſſint prædicere. Viderint etiam adverſarii, an ſufficientibus inſtantiis, vel rationibus ſatis ſtringentibus, illos vel explodere, vel in ſuperſtitioſorum numerum referre poſſint. Quorum neutrum ego quidem auſim, quoniam artem non calleo, prædictiones autem eventu interdum confirmari audio.

Aliud eſt *Imperium Solis* & *Lunæ* in corpora humana, & morbos horum inde oriundos, quod demonſtraſſe ſibi quondam viſus fuit *Rich.* MEAD. Aliud item, quod planetarum adſpectus ſubinde vel ſignant vel cient; quos ſi vel maxime ad tempus quidam videantur eludere, perſonæ tamen debiliores ſolent ſentire. Quibus transmittendum eſt primum ex his tribus, integrum tamen manet, poſteriora duo ad lydium experientiæ lapidem revocare & examinare.

Aliud, ſed adhuc occultius, principium innuit JONSTONUS l. c. ubi tradit, maciem infantum oriri etiam a *faſcinatione*. Quod arripient faciles, qui tenellam & pulchellam ætatem, vel ipſo monente vulgo, volunt laudari, ſed *præfiſcini*. Sunt profecto loca, ſunt homines, quibus hodienum modo gravior eſſe creditur, modo magis exploditur magia

faſci-

fascinatrix multifariam, ut, præter Dispp. de hoc themate ex professo scriptas, omnique laude dignas, Desider. Patrui B. ELIÆ CAMERARII, ZWINGERI atque DETHARDINGII, huc inprimis spectaret, quod ad nos quidem nondum pervenit, ex Disputatione tamen Duisburgensi innotuit, HEISTERI Programma Helmstadiense, quo demonstrare contendit, infantes, quos supposuisse aut substituisse Diabolus credebatur olim, inde cambiones, vulgo *Wechselbælge* dictos, fuisse rhachiticos. Qualem JONSTONUS proponit fascinationem, & explicat per corporum male affectorum contactum, vel per morbosa eorum effluvia, eam facile admisero. Aliter comparatum est cum vi superioris ordinis, quæ incantatos tenet, ac interdum satis graviter torquet; Huc non recurram ante, quam res medicorum non- & præter- naturales ad producendum affectum non sufficere deprehendero; nec, nisi probe excussis naturæ viribus, morbos eam transcendere dixero.

Non quasi nulla sit Naturæ obscuritas, dum utique causas rerum qui quærunt nimis quam frequenter aquam hærere sibi experiuntur, sed quod intra ipsius tamen sphæram manere liceat. Specimen esto ex *Aphor. 12. S. III.* quo a perversa tempestate metuendum dicitur, qui deinceps nascuntur infantes, vel cito interituros, vel futuros tenues & valetudinarios. Cui ex *Aphor. Aphor. Wedelii* adscribam sequentem: Inæqualitas ætheris teneriores & recens natos ferit magis, si principia vitalia inprimis minus robusta sint. Et quandoquidem ita temporis iterum incidit mentio, huc etiam referam illud *Sydenhami*: observari rhachitides veras, cum *dominantur tertianæ.* Quod intelligendum de liberis, vel genitis a parentibus febrem talem perpessis, vel quos ipsos febris non præteriit epidemia, sed reliquit, aut

D fui

ſui loco induxit, rhachitidem: Subit enim infans communes ſuis externas injurias, participat de diæta eorum ſuo modo, habetque inſuper ſibi proprias turbarum cauſas, in vermibus, dentibus, &c. Sic dentitio, quæ partem mali prius dicebatur conſtituere, nunc cauſæ quoque rationem induit. De morbis autem acutis infantum GUALT. HARRIS obſervat, dum in ventre inferiore agitur tragœdia, dolor tamen aliquantum mitior curationi qualicunque, forſan imperitæ, cedit, quod in tumorem abdominis duriuſculum ſæpe deſinat, qui in nonnullis aut rhachitidi, aut ſcrophulis producendis commode ſubſerviat.

Quo ipſo moneor, ut illorum ætiologiam paucis quoque ſubjungam, qui rhachitidem dicunt eſſe *Scorbutum* infantum, conſequentem forſan ad febres iſtius modi auctumnales, quæ ſcorbuticos vel invadant, vel faciant, quæque rhachitidis vel cauſæ vel coeffectus ſint. Ita certe docuit *Schelhammerus* in *d. morb. ætat.* & oſſa flexiliora, curvari ſolita, deduxit a glutine lymphæ, per ſal ſcorbuticum deperdito, ab oſſium fibris non ſatis arcte ferruminatis; uti gibboſitatem a ſeri vitiis, & rhachitidem lymphæ nutritiæ vitio foveri, in *Pathol.* ſua *Dogm.* quondam dixit *Wedelius*, aut a ſolidorum compage laxa, fluidorum vero diſpoſitione cacochymica, frigida, mucoſa & inerti, quibus cum ſæpe latens venenum venereum conjunctum ſit, (conceptis quidem BOERHAAVII verbis, ex §. 1488. tranſcriptis.) in diſp. ſua inaugurali prius cit. recentior derivavit Dn. *Melm.* GLISSONIO tamen ſcorbutus inter illos morbos eſt, quibus cum rhachitis interdum quidem, non autem ſemper conjungi poteſt, ita ſcilicet, ut dependentiam ab illis, eorumve cauſis, vel nullam, vel perquam exiguam habeat; quoniam vel hæreditarius, vel

per

per contagium contractus, vel regionis & diætæ vitio productus, aut aliis morbis ſuperveniens, ad quem defectu exercitii rhachiticus diſponitur.

Via prorſus alia incedit THEOPHR. PARACELSUS, qui *cauſas externas* omnes videtur *penitus excludere.* Non eſt, inquit ille occaſione gibbi, quod incuſes obſtetricem, vel matrem, ſcil. ut dicas, quod afficiantur infantes facile, dum membra ſint adhuc mollia, quoniam talia æque facile hernach verwachſen. Habet ergo agens, quod errare poſſit; quale ſunt hodienum adeo multi, qui volunt in omni negotio vitali, adeo, ut ex hac ratione nolint immediate recurrere ad cauſam, de qua dici nequeat illud prædicatum. Et quemadmodum de gibbo, *vom Hofer*, non æque partium aliarum prius vitium adducit, ſed incipit ab ipſis vertebris, coſtis, oſſibus, & inæqualitas horum ipſi negotium abſolvit, quippe unum eorum hinc deformat alterum; Ita principium horum omnium ipſi eſt *Natura errans*, humana conditio aberrationi obnoxia. Quam erroris cauſam velit, non exprimit, ſed in ſuæ Naturæ erroribus toties ſubſiſtit; Adeo, ut cum alibi gibbo cauſam aſſignet facultatis creſcitivæ ſpaſmum, (quem poſtea *Helmontius* aſſumſiſſe videtur & explicuiſſe.) de cauſa tamen ejusdem occaſionali altum ubique ſit ſilentium; quinimo ſubnaſci poſſit alicui dubium: Annon ſpaſmus ille ad tenſionem vel tractionem illam curvantem pertineat? *Die Natur*, inquit, *hat ihr Maas, vvie alle Ding ſeyn ſollen, die Bein, die Ligamenten, &c. und es fehlt ihr offt, vvie uns unſere Anſchlæge fehlen. Wann ſie eine coſtam, oder cannam, zu lang macht, daſs die Natur überſcheuſt.* Sic ſi una aut altera coſta reliquis natura longior, facit gibbum, *natura vvæchst für*, & facit altum pectus; vornen in Armen, uti etiam

 infra

infra genu, ſunt duæ cannæ, ſi harum altera a natura zu lang iſt, & ligamenta tamen non poſſunt extendi, ideo *so ſchlægt es ſich über einander*, & facit gibbum, *ſo beugt es ſich dann raus, und vvendt ſich.* Addit quoque, tale principium occultum eſſe poſſe adhuc, cum naſcuntur pueri, & ſæpe in nativitate nondum adparere, ſed in decennio, vel alias demum, ſe primo prodere. Nec multum abludit, quod inter cauſas morborum conformationis de gibbo loc. cit. dicit *Wedelius*, *Archeum*, in rectilineari ſua diſtributione *turbatum*, non poſſe aliter, ac *erronee*, de corpore *diſponere*. Quibus *Idem* conformiter loquitur etiam in *Diſp. d. Dentit. Infant.* hanc enim vel anticipare, vel retardari, *Archei nutu* partiumque vigore pendere aſſerit. Fere ſicuti quondam CONRINGIUS *d. Nat. & Dol. Dent.* in univerſo dentitionis negotio peculiarem & propriam quandam vim facultatis vegetatricis, ſed frequentem non minus aberrationem ejus, & agentem ſpiritum, ac vivificam facultatem, cum FALLOPIO, contendit. Verum enim vero, ſingula hæc in ſingularibus & individualibus contingere, concedi forſan poſſet; Sed omnia in uno rhachitico, & horum omnibus, concurrere, nimium mihi quidem videtur eſſe pro errante natura, neque cum phænomenis reliquis ſupra dictiscohærere & conſpirare.

TANTUM!